



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Avrea Gemma Christianorvm

Ruben, Leonhard

Paderbornae, 1604

III. Christus est caput Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68313)

LIBER III. DE VARIIS
CAPVT II.*Christus est agnus Dei.*

Ioan. 1. 29. *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Plura superius de hac re, libro 2. cap. 10. diximus, quo etiam spectant qua infra dicentur cap. 5. 18. & 19.*

CAPVT III.

Christus est caput Ecclesie

Ephes. 1. 5. 6. 7. *Qui predestinavit nos in adoptione filiorum per Iesum Christum in ipsum: Secundum propositum voluntatis sue in laudem gloria gratie sue, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratie eius. vers. 22. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Ibidem cap. 2. 20. 21. 22. Superedificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. in quo & vos edificamini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto. Cap. 4. 15. 16. Veritatem autem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundam operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in edificationem sui in charitate. Cap. 5. 21. 22. 23.*

22. 23. 24. 25. 26. Subiecti inuicem in timore Christi, Mulieres uiris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam uir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesie. Ipse Saluator corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres uiris suis in omnibus. Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsam tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in uerbo uitæ. uers. 29. 30. 31. 32. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fouet & nutrit eam, sicut & Christus ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia. Coloss. 1. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Et ipse est caput corporis ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in caelis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere uos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso; Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euangelij quod audistis, quod prædicatum est in uniuersa creatura quæ sub celo est. cuius factus sum ego Paulus minister.

CAPVT